[Vinzenz Staufer]: Catalogus codicum manu scriptorum, qui in bibliotheca monasterii Mellicensis O.S.B. servantur I
Melk, 1889 Seite VII
Quelle:
Copyright:

manum M. aut, dum vixerunt, dono dederunt aut testamento legaverunt; quartum denique eorum, quos, id quod media aetate haud ita raro contigit, monasterium ipsum aut rerum librorumve permutatione aut emptione comparavit.

Num vero maius meliusve munus ullum viris doctis adferre possumus, quam si, quae adfluenti hac librorum MSS. copia continentur, typis exscribenda curamus, quibus non solum historiae litterarum inprimis mediae aetatis scientia possit augeri, verum etiam multarum eiusdem temporis rerum nominumque notitia confirmari?

Saeculi XVI. initio (anno MDXVII.) catalogus, qui signatura vetustiore J 9 insignis in nostra bibliotheca hoc ipso die exstat, a Stephano Burckhardi, professo Mellicensi, tribus voluminibus exaratus usque ad signaturam M 119 codices numero 1495 refert. A proposito alienum esse non putaverim, horum voluminum inscriptiones transcribere. Quae in primi voluminis 193 folia complectentis capite legitur inscriptio haec est: „Incipit Registrum librorum ac voluminum singulorum huius librarie venerabilis monasterii Mellicensis. In quo id observatur ut primum singulorum voluminum singula contenta singillatim consignantur (sic!); per quod et voluminum numerus et cuiusque voluminis, si aliquod deperdi contigerit, continencia contentorum deperditio sciri poterit. Ex quibus demum voluminibus singuli autores suis nominibus secundum alphabeti ordinem extracti speciale registrum constituunt.“ Secundi voluminis 83 folia complectentis haec est inscriptio: „Presens registrum includit dicta et scripta omnium doctorum atque scribencium necnon omnium librorum materias secundum alphabetum quam diligentissime compositas;“ atque tertii foliorum 140 voluminis haec est: „In presenti registro continentur et scripta atque nomina omnium doctorum autorum et scribencium, secundum ordinem alphabeti, qui nostra in bibliotheca habentur. In quo diligens lector de facili contenta eorundem